

nec Diœcesanis; in ipsis enim non habent votum decisivum, sed mere consultivum. Idem *ibid.* n. 7.

(137. Synodus Generalis nullam vim obtinet, nisi sit a Summo Pontifice confirmata; supremum enim iudicium in Synodo Generali est penes ipsum, qui nec majorem partem Episcoporum, aliorumque suffragantium sequi tenetur. Idem *ibid.* c. 2. n. 3. Vide art. 1. n. 56. (138. Synodus Provincialis debet prius recognosci, et approbari a Summo Pontifice, seu a Sacra Congregat. Concilii. Idem *ibid.* cap. 3 et 4. ubi ad id plura affert exempla. Vide art. 1. num. 50. (139. Synodus Provincialis quamvis a Summo Pontifice confirmata, non obstringit universam Ecclesiam, nisi Pontifex expresse dixerit. Idem *ibid.* num. 5. Vide d. art. 1. a num. 62. et per tot. ubi plurima ad rem. (140. Synodus Diœcesana non oportet, ut Romam mittatur, pro revisione, et confirmatione, sed sine alterius approbatione vim Legis habet in Diœcesi. Idem *ibid.* n. 6. referens Decretum Sac. Congregationis Concilii, quæ rogata, ut recognosceret Acta Diœcesanæ Synodi Strongolensis die 17. Junii 1645. respondit: « Se non consuevisse revideri, et approbare nisi Synodos Provinciales, ex Constitutione Sixti V, et quod ideo Episcopus uteretur jure sibi ex Sacro Concilio competente; » lib. 17. Decretorum pag. 484, et *ibidem* dict. num. 6, concludit, expresse falli Cardinalem de Luca, et Van-Espenium asserentes, Diœcesanas Synodos robore, et efficacia carere, nisi a prædicta Sac. Congregatione approbentur. Non enim Sacra Congregatio eas recognoscere consuevit, nisi quis ad ipsam ab eis appellet. Idem *ibidem* n. 7. Vide supra n. 46 et 47.

(141. In fine Synodorum fieri solent faustæ Acclamationes, et præsertim in fine Synodorum Generalium, uti videre est in Concilio Tridentino post sessionem vigesimam quintam, ibi: « De fine Concilii, et Confirmatione petenda a Sanctissimo Domino Nostro.

(142. « Illustrissimi Domini, Reverendissimi Patres, Placetne vobis, ut ad laudem Dei Omnipotentis huic Sacræ OEcumenicæ Synodo finis imponatur, et omnium, et singulorum, quæ tam sub fel. record. Paulo III et Julio III, quam sub Sanctissimo Domino Nostro Pio IV, Romanis Pontificibus, in ea decreta, et definita sunt, confirmatio nomine Sanctæ hujus Synodi per Apostolicæ Sedis Legatos, et Præsidentes petatur a Beatiss. Romano Pont. » Responderunt, *Placet.*

(143. Postmodum Illustrissimus, et Reverendissimus Cardinalis Moronus, primus Legatus, et præsidens benedicens Sanctæ Synodo, dixit:

Post gratias Deo actas Reverendissimi Patres ite in pace. » Qui responderunt: *Amen.*

(144. Acclamationes Patrum in fine Concilii.

*Cardinalis a Lotharingia.*

Beatissimo Pio Papa, et Domino Nostro

Sanctæ Universalis Ecclesiæ Pontifici, multi anni et æterna memoria.

*Responsum Patrum.*

Domine Deus Sanctissimum Patrem diutissime Ecclesiæ tuæ conserva multos annos.

*Card.* Beatissimorum Summorum Pontificum animabus Pauli III et Julii III, quorum auctoritate hoc Sacrum Generale Concilium inchoatum est, pax a Domino, et æterna gloria, atque felicitas in luce Sanctorum.

*Resp.* Memoria in benedictione sit

*Card.* Caroli V Imperatoris, et Serenissimorum Regum, qui hoc universale Concilium promoverunt, et protexerunt, memoria in benedictione sit.

*Resp.* Amen. Amen.

(145. Cæteræ Acclamationes omittuntur, jam satis obvix in quolibet exemplari Concilii Trident.

(146. Item in fine Conciliorum Provincialium, licet raro, ut advertit idem Benedictus *l. c. lib. 5. c. 1. num. 10.* et afferentur prout factæ fuerunt in Concilio Provinciali Mediolanensi sexto, ut habentur impressæ in Actis d. Ecclesiæ *par. 8. pag. 1229.* ultimæ impressionis Bergomensis, ibi:

(147. Acclamationes Reverendissimorum Patrum in Concilio Provinciali Mediolanensi sexto.

*Archid.* Deo Patri misericordiarum, et Deo totius consolationis gratiæ.

*Resp.* Immensa est misericordia tua super nos Domine, qui secundum multitudinem miserationum tuarum, nos Conciliorum Provincialium frequentia consolari jugiter dignatus es. Tibi laus, tibi honor, tibi gloria in sæculum, et in æternum.

*Archid.* Beatiss. Gregorio Papæ, et Domino Nostro Sanctæ Universalis Ecclesiæ Pontifici, cunctarum gentium obedientia, et Christiani nominis in omnem terram propagatio.

*Resp.* Domine Deus Sanctissim. Patrem gratia tua custodi, ut eo gubernante, gentes sancto veræ Fidei lumine perfusæ, in unum Ecclesiæ tuæ ovile colligantur.

*Archid.* Patriarchis, et Archiepiscopis, et Episcopis omnibus salutaris vigilantia.

*Resp.* Deus Pater luminum, illustra faciem tuam super servos tuos, accende corda eorum in ædificationem corporis tui.

*Archid.* Regi Catholico, et aliis Regibus, Principibusque Christianis perpetua felicitas.

*Resp.* Æterne Deus, Christianæ Religionis Defensoribus optabilem de hostibus Crucis filii tui victoriam dextera potentiæ tuæ semper concede.

*Archid.* Fidelibus Provinciæ nostræ, et populo Christiano universo Pax Christi æterna.

*Resp.* Memento Domine Deus in beneplacito populi tui, et confirma in omni virtute gressus ejus, perpetuumque tuæ benedictionis rorem illi infunde.

*Archid.* Reverendiss. hujus Provinciæ Episcop. ad Ecclesias suas reditus cum spiritali fructu uberrimo.

*Resp.* Deduc nos Domine in viam rectam, et dirige gressus nostros in viam pacis, et ad dandam scientiam plebi tuæ.

*Archid.* Nos Domine, operarii in messem tuam missi, in omni opere bono ministerium explentes, Decreta Sancta exsequentes, digni reddamur misericordia, et gratia magni et Supremi Sacerdotis Jesu Christi Dei, intercedente simul beata ejus Genitrice Maria, Beato Ambrosio Confessore, atque aliis hujus Provinciæ Patronis, et omnibus Sanctis.

*Resp.* Amen. Amen.

(148. Acclamationibus de more absolutis, statim Reverend. Patres ordine singuli ad Illustriss. Metropolitanum adhuc in sessione persistentem pro osculo pacis accesserunt: quibus singillatim Illustriss. Metropolitanus, dum appropinquarent, assurgens prævia mutua capitis acclinatione osculum impartitus est.

(149. Tandem Illustriss. Metrop. deposita Mitra, et assumpto Baculo, surgens universæ Synodo solemniter benedixit, et Indulgentiam centum dierum concessit, ac postremo per Rev. Archidiaconum alta voce: *Redeamus cum pace*, enunciatum est, et responsum in nomine Domini. Et Sacras Vestes in sessionali loco statim exiit Illustriss. Metrop. et Reverendiss. Patres, et *ibidem* facta brevi oratione, cum jam secunda hora noctis immineret, in aedes Archiepiscopales, etc.

(150. Post Acclamationes in Conciliis Provincialibus, ut tradit Cæremoniale Episcop. *cap. 31.* et notat idem Benedictus *loc. cit. num. 10.* omnes Episcopi accedunt ad osculum pacis a Metropolitanano accipiendum, quod deinde sibi invicem pariter dant, et accipiunt, ut mutuam caritatem, animorumque conjunctionem ostendant.

(151. Etiam in fine Synodorum Diœcesanarum aliquando fieri solent dictæ Acclamationes, licet rarius, ut notat Idem *ibidem num. 11.* ex Cæremoniali Episcoporum *cit. cap. 31.* in fine sic expresse concludente: *In Synodis Diœcesanis magis expediret, ut Acclamationes, et oscula pacis omitterentur.*

(152. At quia nihilominus Gavantus in *praxi Synodi Diœcesanæ pag. 61.* ait: *Acclamationes fiunt saltem in prima Synodo, ut aliquando fieri, et Cæremoniale non eas prohibet, sed parcius adhiberi censet in Diœcesanis Synodis, adductis exemplis de Acclamationibus factis in variis Synodis Diœcesanis hinc inde celebratis, et tradita dispositione Concilii Provincialis V. Mediolanensis prout in Actis Eccles. Mediolanensis par. 1. p. 479.* ibi:

« Tum postea Acclamationes sanctæ fiant ex formula ab Episcopo præscripta. Acclamationibus factis Sacerdotes, et Clerici surgentes, cum reverentia osculum pacis ab Episcopo accipiant, et sibi invicem dent cum timore, et amore Dei. Si vero Cleri, qui convenerint, numerus is est, ut longius hic osculi ritus ducatur, ea ratio inest, ut Præpositi, et Archipresbyter solum ab Episcopo illud accipiant; deinceps suo quique Clero dent, isque inter se mutuo item; » tandem ipsemet *loc. cit. num. 11. in fine,* sic ex-

presse concludit: Verum cum hæc in Cæremoniali Episcoporum nec præcipiantur, nec prohibeantur, liberum erit Episcopis ea vel facere, vel omittere, sicut fert cujuslibet Diœcesis consuetudo.

(153. Hinc ad exemplum traduntur Acclamationes factæ in fine Synodi Diœcesanæ XI. Mediolanensis ann. 1584. Archiepiscopo S. Carolo Borromæo, et Summo Pontifice Gregor. XIII. prout traduntur in Actis d. Eccles. *part. 8. pag. 1241.* ibi: « Acclamationes Cleri in Synodo Diœcesana. »

*Archid.* Deo Patri misericordiarum, et Deo totius consolationis gratiæ.

*Resp.* Immensa est misericordia tua super nos Domine, qui Conciliorum exercitationibus rectum justitiæ tuæ tramitem, et disciplinæ regimen jugiter docere dignatus es. Tibi laus, honor, tibi gloria in sæculum, et in æternum.

*Archid.* Beatissimo Gregorio Papæ, et Domino Nostro, Sanctæ universalis Ecclesiæ Pontifici cunctarum gentium obedientia, et Christiani nominis in omnem terram propagatio.

*Resp.* Domine Deus Sanctissimum Patrem gratia tua custodi, ut eo gubernante, gentes sancto veræ fidei lumine perfusæ, in unum Ecclesiæ tuæ ovile colligantur.

*Archid.* Reverendiss. Archiepiscopo Nostro salutaris vigilantia.

*Resp.* Omnipotens Deus, super Antistitem nostrum benedictionum tuarum dona perpetuo multiplica.

*Archid.* Serenissimo Regi Philippo Christianæ religionis defensori perpetua felicitas.

*Resp.* Æterne Deus, Catholicum Regem nostrum in Amore tuo conserva, ut cælesti gratia tua auctus, omni tua benedictione perpetuo dilatetur.

*Archid.* Populo Mediolanensi Pax Christi æterna.

*Resp.* Memento Domine Deus in beneplacito populi tui, ac perpetuum tuæ benedictionis rorem illi infunde.

*Archid.* Nos Dei voluntatem explentes, et Sancta Decreta in omni opere bono exsequentes, digni reddamur misericordia, et gratia magni, et Summi Sacerdotis Jesu Christi Dei, intercedente simul Beata ejus Genitrice Virgine Maria, Beato Ambrosio Confessore Patre Nostro, et omnibus Sanctis.

*Resp.* Amen. Amen.

(154. Quibus absolutis Illustriss. Archiepisc. dedit omnibus Canonicis Ordinariis Ecclesiæ Metropol. et Præpositis Collegatarum Ecclesiarum Civitatis, et Diœcesis, et Vicariis Foraneis et Syndicis regionum Civitatis osculum Pacis; et demum cum benedictione solemnî, et publicatione Indulgentiarum dimisit universum Clerum.

(155. Benedictus autem XIV. *loco cit. num. 9.* Acclamationes fieri solitas generatim recensens, sic expresse tradit: In fine Synodi fieri solent acclamationes, quibus Diaconus, cæteris respondentibus, omnem laudem, honorem, et gloriam refert Deo Patri misericordiarum, qui Spiritus Sancti invisibili gratia Synodum dirigere, atque ad felicem

exitum perducere dignatus est : Summo Pontifici universalem Ecclesiam gubernanti, veram, et diuturnam prosperitatem; Episcopo Synodo præsidenti, ejusque Ministris salutarem vigilantiam, et Divinarum miserationum abundantiam, Civitati, et Oppidis Diœcesanis pacem, animorumque concordiam, omniaque fausta precatur; supplicatque Deo, ut uberem opem elargiatur, qua singuli adjuti, edita in Synodo Decreta sancte, inviolateque custodiant, et exsequantur.

Hac in re si plura cupis, consule egregium Benedicti XIV. Tractatum *de Synodo Diœcesana*, præsertim ultimæ Romanæ multo uberioris editionis impress. an 1783.

ADDITIONES EX EDITIONE BARBIELINIANA.

(156. Synodus Diœcesana *Presbyterium* ab antiquis frequenter appellatur; item *Concilium civile*. Bened. XIV. *de Synod. Diœces. l. 1. c. 1. n. 4.*

(157. Episcopus causam, cur Synodum suam non celebrarit, debet afferre in visitatione Liminum Apostolorum. Gavantus in *praxi Diœces. Synod. capit. 1. § 1. n. 6.*

(158. Licet Eminent. Cardinalis Urbis Vicarius Synodum Diœcesanam celebrare possit ex dictis n. 9, non tamen tenetur. Diœcesis enim Romana unius urbis mœnibus concluditur; quare Cardinalis Vicarius una veluti oculorum conversione omnes suæ Diœcesis Parochos, Presbyteros cæterosque de Clero intueri, et qualibet hora eorum quemlibet ad se accersere potest, atque his vicissim semper ad Cardinalem Vicarium patet aditus; quod non contingit in aliis Diœcesibus, quæ plerumque ex Ecclesiis conflantur inter se, et ab Urbe, in qua Episcopus residet, longe dissitis. Bened. XIV. *de Syn. Diœc. lib. 2. 3. n. 6.*

(159. Eadem de causa Andreucci Tract. *de Episcop. Cardinal. Suburbicariis cap. 4. num. 116. seq.* censet Episcopos Cardinales Suburbicarios ab hac lege congregandi quotannis Synodum facile posse sese subtrahere.

CONCIONATOR.

Vide verb. PREDICATOR PER TOT.

CONCLAVISTA.

ARTICULUS NOVUS CASINENSIS.

SUMMARIUM.

1. 2. Electio, et qualitates Conclavistarum. — 3. Illorum privilegia. — 4. 5. Reservationes eorum Beneficiorum. — 6. Conclavistatus probari debet. — 7. Quibus concedatur Apostolicus Protonotariatus. — 8. Reservatio non cessat, cum Conclavista con-

(1. In octava Congregatione, quæ haberi solet a Cardinalibus post mortem Pontificis in sacristia Basilicæ S. Petri deputantur Cardinales, quibus munus committitur approbandi Conclavistas. Tali nomine nuncupantur illi Cardinalium familiares, quibuscum illis in Conclave introire permittitur, ut ipsorum curam habeant. Omnes tenentur in illo ipso die præbere Cardinalibus deputatis nomen,

Monet tamen aliqualem rationem legis tan. Sanctæ ab his quoque Episcopis Cardinalibus habendam esse, ita ut si opportunitas cogendæ Synodi sese illis obtulerit, vel id necessitas exigat, eam minime negligant; quod etiam a pluribus laudabiliter factum novimus, ut Velitris ab Alderano Card. Cybo per Nepotem suum Patriarcham, et Tusculi cum a Francisco Maria Care. Biancaccio, tum ab Eminentiss. et Regio Principe Card. Eboracensi.

(160. Licet Sacra Conc. Congregatio, Synodorum diœcesanarum constitutiones non consueverit examinare (vid. n. 140.), nihilominus si Episcopus, inconsulto Capitulo, novas ediderit Constitutiones, quæ propterea ut a norma a Jure præscripta deficientes firmitate carerent, sanare illas poterit, si justæ et rationabiles deprehendantur: quod aliquando factum monet ex Card. Petra Benedictus XIV. in d. lib. 13. cap. 1. num. 16.

(161. Si Statuta Synodalia etiam populum respiciant, promulganda sunt extra Synodum: sin autem solum Clerum spectent diœcesis, non alia indigent publicatione ab ea distincta, quæ fit in ipsa Synodo, cui præcipua Cleri pars interest. Bened. XIV. *ibid. cap. 4. num. 1.*

(162. In Belgio, si Van-Espenio credimus, sine Regio consensu ægre Synodorum publicatio permitteretur. In Gallia tamen non tenentur Episcopi literas Regias petere, ut statuta eorum Synodalia vim legis in suis diœcesibus obtineant.

(163. Ad acclamationes quod attinet, in Cæremoniali Episcoporum cap. 32. habetur: *In Synodis Diœcesanis magis deceret, ut Acclamationes et oscula pacis omittentur; quibus quidem verbis non eas prohibet Cæremoniale, sed parcus adhibendas monet. Hinc Gavantus, ut saltem fiant in prima Synodo suadet. De osculo pacis vide S. Caroli Concilium Provinciale Mediolanense V. part. 3. in Actis Eccl. Mediol. P. 1. pag. 279.*

trahit aliam familiaritatem. — 9. Dapiferorum privilegia. — 10. Dapiferorum Beneficia reservata Pontifici. — 11. Reservatio tamen non valet pro Beneficiis obtentis post mortem Pontificis cujus familiares fuerunt. — 12. Et non excipiuntur in indultis Cardinalium. — 13. 14. Conclavistarum et Dapiferorum Beneficia quoad Regulam XXXII. Cancellariæ.

cognomen, patriam, officia illorum omnium, qui in proximo Conclavi inservire debent. Ex Constitutione Pii IV. *In eligendis, Bullar. Mainardi Tom. IV. Part. 11. pag. 145.* (2. Conclavistæ eligi non possunt, nisi qui per annum familiares et domestici perpetui proprii Cardinalis ejusque commensales fuerint; Mercatores verò, Ministri Principum, omnes qui jurisdictione temporali gaudent,

atque Fratres et Nepotes Cardinalium in Conclavistarum numero admitti non possunt; et cum semel Conclavistæ necessitate aliqua urgente e Conclavi egrediuntur, amplius introire non possunt.

(3. Clemens VIII. sua *Constitut. Æquitati consentaneum etc. Dat. die 9. Novemb. 1592. Bullar. Mainardi tom V. part. 1. pag. 407.* Conclavistas auxit plurimis privilegiis, et in primis declaravit 1. veros, indubitatos, et non fictos Pontificis familiares, 2. Palatii Apostolici et Aulæ Lateranensis Comites et Milites. 3. Cives et Nobiles Urbis, vel alterius, quam ipsi maluerint Civitatis, Sanctæ Romanæ Ecclesiæ mediate vel immediate subjectæ. 4. Illos qui tali honore digni habiti sunt a tribus Cardinalibus, qui Capita Ordinum dicuntur, recepit inter Apostolicos Notarios, sine præjudicio tamen Notariorum de numero participantium; 5. Eximit etiam a solutione et exactione quarumcumque decimarum, pedagii, subsidii et gabellæ, et cujuscumque oneris ordinarii et extraordinarii; 6. condonat fructus Ecclesiasticos indebite perceptos; 7. dispensat cum eisdem super inhabilitate quomodolibet contracta, etiam si divina officia celebraverint censuris ligati. 8. Legitimat natales eorum, qui tali defectu laborant; excipit tamen si procreati fuerint ex Presbyteri coitu. 9. Eximit illos a necessitate deferendi tonsuram et habitum Clericalem, cum gaudent quacumque pensione, non tamen ultra summam centum ducatorum auri de Camera; 10. præcipit, ut literæ Apostolicæ gratis pro eis expediantur; 11. Reddit illos habiles ad percipiendas quascumque pensiones super quibusvis Beneficiis Ecclesiasticis cum cura et sine cura animarum, et super beneficia quorumvis Ordinum et Militiarum, etiam S. Johannis Hierosolymitani. 12. Voluit ut hæc literæ, quamvis insinuatæ, admittæ, et registratæ non fuerint in Camera intra legitimum tempus, tamen suum effectum consequerentur; 13. statuit demum quod talia privilegia nullo modo suspendi, revocari, vel limitari possint. Paulus V. sua *Const. Romanum decet etc. Dat. die 31. Jul. 1605. Bullar. magn. tom. 3. pag. 199.* confirmavit omnia Conclavistarum privilegia addendo, quod summa decem millium scutorum auri, quam novus Pontifex donare solet, æqualiter inter ipsos distribueretur; et voluit ut dispensatio illegitimitatis valeret etiam pro collatione Sacrorum Ordinum et Beneficiorum, ac demum contulit ipsis omnia beneficia non excedentia valorem ducentorum ducatorum auri de Camera, quæ sede vacante vacaverunt. Talia etiam statuit Gregorius XV. sua *Const. Romanus Pontifex etc. Dat. die 15. Mart. 1621. Bull. Magn. loc. cit. pag. 418* et Urbanus VIII. *Const. circumspccta etc. Dat. die 6. Aug. 1623. Bullar. tom. 4. pag. 1.* qui etiam ipsis donavit summam decem millium scutorum auri in tot locis montium Urbis vacabilium, cum primùm vacaverint, exemit a solutione et exactione Decimarum et cujuscumque oneris ordinarii vel extraordinarii ad instar. S. R. E. Cardinalium; et

illorum bona liberavit a spolio Camerali; ratas habuit in foro conscientie tantum, collationes nullas Beneficiorum, ac demum a censuris, si quas incurrerunt occasione Conclavis, absolvit. Demum Clemens XII. *Const. Nos volentes etc. Dat. die 16. Jul. 1730. Bullar. Mainard. tom. 14. pag. 12.* addidit facultatem testandi, quam concessit omnibus Conclavistis, etiam professis cujuscumque Ordinis, excepto tantum S. Joannis Hierosolymitani; quam Constitutionem omnes sequentes Pontifices sua auctoritate firmarunt; uti videre potes in Bullario Romano.

(4. Conclavistæ sunt veri Pontificis familiares et commensales, uti patet ex constitutionibus supra citatis; unde eorum Beneficia veniunt sub reservatione IV. Regulæ Cancellariæ. Gonzal. *ad Reg. 8. gloss. 11. n. 16. et n. 35. vers. Nec non; Garcias de Benef. part. 5. cap. 1. num. 311 et seq.* Anmadverte tamen, quod oportet, quod novus Pontifex speciali constitutione confirmet privilegia Conclavistarum, qui in suo Conclavi interfuerunt; quod si ille id facere negligit, nulla est reservatio ratione Conclavistatus. Card. de Luca *de Benef. lib. 12. disc. 141. n. 5. pag. 212. edit. Venet. 1726. Rot. decis. 1251. num. 2. vers. Verum, et num. 14. in fine coram Seraphino.* Beneficia autem obtenta post mortem Pontificis electi in Conclavi, in quo inservierunt, non videntur venire sub istius regulæ reservatione; nam tamdiu durat reservatio, quamdiu perseverat familiaritas; cum vero morte Pontificis familiaritas extinguatur, Beneficia postea obtenta sunt liberæ collationis. Spad. *cons. 39. n. 2. lib. 3. Mandos. ad Regul. 4. qu. 5. n. 3. Lotter. de re Benef. lib. 2. qu. 32. num. 152. et 167.* Card. de Luca *de Benef. disc. 141. num. 5. Rot. in Hisp. Præstimonii prima Junii 1661. cor. Verosp. et dec. 35. n. 5. coram Emerix sen. cum aliis in decis. 476. part. 18. rec.* Contrariam tamen tenuit sententiam Congregatio in Dataria habita die 11. Augusti 1670. et Rot. in Roman. *Canonicalis coram Alberгато decis. 303 et 383. part. 17 et 476. part. 18. recent.* quas habes apud Navar. in *Summ. Bullar. decis. 28. 29. et 32.* Nam primo Urbanus VII. in sua Constitutione LIX. quæ postea semper fuit confirmata a suis Successoribus in Regula IV. Cancellariæ, cum daret indultum conferendi aliqua Beneficia reservata, excipit Beneficia familiarium Pontificis, vel *Conclavistarum*, quæ sibi reservavit ad instar *reservationis apud Sedem*, quibus verbis ferme distinxit Conclavistatum a familiaritate Pontificis, et voluit istum constituere novam speciem reservationis, quæ non amplius ab illa regularetur, quod maxime patet ex adjecta particula disjunctiva *vel*, quæ distinctionem importat. Bartol. in *leg. Supra § Officium in fine, ff. de Aqua pluv. arcen.* Gonzal. *ad Reg. 8. gloss. 48. n. 17. et gloss. 52. num. 3. Barbos. Dict. 415. num. 1.* Secundo, similiter semper post dictam Urbani Constitutionem Pontifices in indultis concedi solitis Cardinalibus Nepotibus solent ponere distinctionem inter Concla-